



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCLXXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

non etiam ut vice Pastoris esset. Sic ut hic Frater officium illi concedit aut mandat transgredi non deberet, nec posset eas partes sibi assumere, quæ proprii Pastoris sunt. Ius enim id proprio presbytero, non cuiusque eius quacumque in parte vices gerenti permittit. Et id nequidem in testamento ad pias causas aut in periculo pestis condito. Nam nec pia causa, ut inquit Decius, d. consil. 120. nu. 1. & consil. 612. Conclusionem, nec favor testatoris, nec periculum loci aut temporis, hoc efficere possunt, ut persona per se ad actum inhabilis, efficiatur habilis, sublata eius inhabilitate.

Nec ad sustinendam hanc scripturam quicquid facit, quod in extremo illius fine inveniantur alia manu ascripta hæc verba, *Ex me Notario Antonio Vuest Pastore in G.* Nam præsupposito, quod constaret illa esse scripta manu dicti Antonij, ut testes deponere videntur, sed sine pondere & effectu probationis, ut iam diximus; & quod præterea constaret de Notariatu ejusdem Domini Antonij, de quo nullo modo constat, ut latius, si tempus pateretur, ad oculum deduci, & demonstrari posset; nihil adhuc in proposito faceret ad sustinendam hujus asserti testamenti validitatem. † Ex quo non tantum non constat, quod hic Dominus Antonius per præfatam Mariam fuerit rogatus aut adhibitus ut Notarius; quæ rogatio & adhibitus in omni Notariatu actu vel instrumento, ut forma essentialis est necessaria, Bart. & alij in l. sciendum de verb. oblig. & in l. Generali C. de tribut. lib. 10. non tantum cum absens, verum etiam cum casu, vel ex alia causa Notarius præsens est, §. nos autem in Auth. de tabellion. Specul. de instrum. edit. §. 2. nu. 11. versic. item quod rogatus, Afflict. decis. 317. sed quod hoc quoque instrumento suo addere debuisset, se à partibus seu parte rogatum & adhibitum esse, cum id per se non præsumatur. Ideoque communiter improbat Accursij Glossam d. §. nos autem in verb. mingatur in fine de Tabellion. quæ id in dubio præsumi vult. De quo videatur elegans & ad rem præsentem accommodatissima Nic. Boerij decisio, decis. 35. Cum igitur in hac subscriptione non tantum nulla fiat mentio rogationis, aut adhibitionis alicujus, nec ea præsumenda sit, sed etiam ex adverso appareat potius sinistra aliqua machinatio, præsertim ob hoc, quod in dicta scriptura contineantur quedam legata, & dicto Fratri Joanni, & dicto D. Antonio ascripta; videtur res non esse extra periculum falli ex Senatusconsulto Liboniano, & edicto Divi Claudij, l. Senatusconsulto C. de his qui sibi ascripser. l. si quis C. ad leg. Corn. de falsis.

Utræque hoc in considerationem venit, quod ipsa Atrix nusquam allegat hoc testamentum conditum esse coram præfato D. Antonio, nec illum de eo rogatum fuisse; sed coram præfato Fratre Joanne: quod etiam supramentionatæ duæ mulierculæ per Atricem in testimonium productæ asserunt; hoc suæ depositioni adiungentes, quod dicta Maria expressè voluerit id facere coram dicto Fratre Joanne, & minime coram Domino Antonio; ita ut nec D. Antonij persona, nec ejus Notariatus qualitas; hæc in re ad sustinendam hanc scripturam sit considerabilis: ut rectè Conf. Wamef. Tom. II.

hic dici possit, quod voluit hæc Maria non potuit, & quod potuit non voluit, l. Multum interest, & ibi Gloss. in verb. potes c. Si quis alteri vel sibi Gloss. ult. in l. 3. C. de contrah. & commut. stipulat. Et sanè sinistram aliquam hæc in re fuisse machinationem manifestè deprehenditur ex aspectu hujus scripti; in quo deletio nomine D. Antonij, qui in superiore parte pro teste erat ascriptus, per interlineaturam suppositum est nomen Henrici Paepen: unde etiam ex eodem aspectu deprehenditur, quod subscriptio quæ dicitur esse D. Antonij, subscribita post ejusdem scripturæ extremam completionem, quam Frater Ioannes suâ manu subiecit dicitur; quasi scilicet hanc testationem ipse Frater Ioannes à dicta Maria stipulatus fuisse seu recepisset. Ita quod post hoc complementum subiecta subscriptio sub nomine D. Antonij, extra rem proposita sit, & extra omnem rationem atque intentionem dictæ Mariæ: imò non tantum præter, sed etiam contra mentem ejusdem; cum manifestè constet, Mariam noluisse testari coram præfato D. Antonio. Quæ omnia latiore demonstratione & deductione detegere & ad oculum indicare possemus, si non tempore excluderemur, actis seriis ad nos delatis, & Domino Iudice in procinctu, ut intelligimus, ad judicandum existente. In eo finaliter persistentes, quod supradicto decreto approbatorio standum sit; & ex superabundanti de novo declarandum, hoc prius præfatæ Mariæ Wolfs testamentum omni iure validum esse, subsistere, suosque finem & effectum fortiri debere; condemnando partem Atricem in expensis hujus litis.

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Testamentum coram Notario & testibus.

1. Relinquo, verbum an conveniat institutioni testulo.
2. Testamentum condendum secundum statuta loci, ubi conditur.
3. Intestatus decedens censetur bona sua relinquere suis legitimis hæredibus.
4. Disposens per testamentum de bonis sibi relictis intelligitur adire hæreditatem.
5. Condicio, si sine liberis, deficit superstitibus licet postea moriatur.
6. Substitutio vulgaris expirat adita hæreditate.
7. Voluntas testatoris sine dispositione est nulla.
8. Filius intestato quando & in quibus bonis succedat pater.

CONSILIVM CCCLXXXVI.

DVLICI jure munitus est Dominus Ioannes Wolfhart ad hæreditatem seu successionem Melchioris Wolfhart sui filij, adversus maternos cognatos ejusdem Melchioris. Et primum quidem ex testamento ejusdem Melchioris, quod in ætate xxii. annorum, & sic omnino plusquam idonea fecit, l. si frater c. Qui testari facere poss. in quo dicto suo patri reliquit universa sua bona, si (quod evenit) ei superstes esset. † Hujusmodi enim universorum bonorum relictum, imò verbum, *relinquo*, adiectum universitati seu quotæ bonorum, pro hæredis institutione est, etiam si scriptum non sit, quod

titulo institutionis illa relinquatur; cum nemo alius formaliter heres institutus invenitur, Gloss. communiter approbata in l. Hu. verbis De hered. instit. & in Auth. de hered. & valid. §. si vero nullam, in verb. relicta, Ioan. de Imola & alij in d. l. Hu. verbis, Gualter. Benedict. in c. Raynurus in verb. relinquens De testam. etiam cum relinquatur ei universalitas seu quota bonorum, cui ex iuris necessitate legitima in testamento relinqui debet, Phil. Francus in c. 1. De testam. lib. 6. Ioan. de Imola in d. l. Hu. verbis nu. 4. qualis est pater & reliqui ascendentes respectu filij, in Auth. Ut cum de appel. cognosc. §. & hac quidem, Alex. in l. Nemo in fine C. Qui testam. fac. pos. lafon. in l. fin. nu. 5. c. De officio testam.

2. Nec quicquam mover, quod hoc testamentum non sit confectum secundum requisitam à iure civili solemnitate, adhibitis septem testibus & sigillis, l. Hac consuetudine c. De testam. nam sufficit illud esse confectum secundum formam & consuetudinem obtinentem in Civitate Antwerpensi, in qua (ut fere generaliter) nunc passim approbata est forma conficiendi testamenti coram Notario & duobus testibus; quæ proculdubio iuri communi derogat, l. Si non speciali & ibi latè Alex. c. De testam. siue addat aliquid ad iuris communis solemnitates; siue detrahat, Doct. in l. Cunctis populos C. De sum. Trin. & fide. Cat. d. Cum esset & ibi Doct. De testam. Covarr. in d. c. Cum esset nu. 21. Sufficit autem testamentum conditum esse secundum consuetudinem seu formam obtinentem in loco, in quo confectum est testamentum, etiam si ubi hereditas, aut bona testatoris sita sunt, alia sit testandi forma, Doct. in d. l. Cunctis populos, Castren. & Angel. in l. 2. c. Quomodo testam. aper. Phil. Carnem conf. 232. Circa primum vol. 4. De quo in proposito ambigendum non est, ob id, quod & territorij Colonienfis, ubi sita sunt huius testatoris materna bona, eadem sit coram Notario & duobus testibus conficiendi testamenti consuetudo. Sic ut nisi extrinsecus aliquid proponatur vel adferatur, quod possit facere ad impugnacionem huius testamenti, ratum & firmum manere debeat; etiam si nihil cognatis materis in eodem testamento reliquisset: cum de iure non fuerit obligatus ad aliquid eis relinquendum, l. Fratres C. De officio testam.

Proponitur secundo, quod præfatus Dominus Ioannes Wolshart, cum Domicella Elizabetha van Wasservas sua coniuge & matre dicti Melchioris in testamento suo, quod coniuncta manu fecerunt, inter alia ita disposuerint, ut post mortem illius, qui ex ipsis prior decederet, superstes haberet: usumfructum omnium bonorum, quorumque loco sitorum, quæ ad ipsos tempore mortis prioris decedentis pertinerent: idque situm liberos superstitibus haberent, siue non, sub onere tamen educandi liberos, ac dandi illis legitimam cum ad statum pervenirent; adiecta præterea hac restrictione siue dispositione, quod superstes non possent illa bona alienare & obligare; & si contingeret ex rebus aut bonis redimi aut mutari, quod in eum eventum superstes illa deberet ad eandem naturam applicare, & ex suis proprijs bonis redintegrare; adiectis his verbis: Op dat kindt oft kinder en oft van ghebreke van

dien des eerste assibige erfgenamen daer mede bewaert ende versekerd moghen worden ende sullen schuldich zyn te gaen ende succederen ter zuden van daer die gecomen sullen zyn. hoc est, si filius aut filij aut illi deficientibus primis mortuorum hæredes possint esse secuti & certi & debeant ire & succedere ad lineam a qua proveniunt. In quibus verbis, dicti materis cognati constituant fideicommissum, seu fideicommissariam substitutionem; quasi eo fideicommissio gravatus fuerit Melchior, & ad dicta bona vocati sint hæredes sanguinis dictæ Domicellæ Elizabethæ. Quod si dici posset, consequeretur Melchiorum non habuisse liberam facultatem de his bonis disponendi; saltem non ultra ejus legitimam: quæ in omnem eventum ab onere fideicommissi libera apud patrem testamentarium dicti Melchioris heredem permanere deberet, l. Quoniam in prioribus C. De officio testam.

Cæterum aliud omnino dicendum est: nam prædicta verba non tendunt ad aliquod fideicommissum liberis illius, qui ex ipsis testatoribus prior decederet imponendum, casu quo perveniret ad eos proprietas bonorum sic prioris decedentis; sed duntaxat ad vocandum eos, qui de latere seu linea illius essent, casu quo decederet liberis nullis superstitibus. * Cum enim superstiti tantum usufructus illorum bonorum sit relictus; & de proprietate nulla sit formalis aliqua dispositio, nec institutio hæredis de persona liberorum aut alterius aliqujus de sanguine; sic accipi debent verba illa, ut per illa, vel saltem tacite, censentur vocati legitimi hæredes, argum. l. Consequuntur De iure codicil. & l. Si quis ita hæres De hered. instit. Gualter. Benedict. in d. c. Raynurus ad verb. adiciens ut, Alterochannu. 22. & 23. vel reservatum legitimis hæredibus jus intestatæ successione; cui intestatæ successioni per prædictam prohibitionem alienationis & necessitatem reapplicandi coniugi superstiti in relicto usufructu hæredi instituto impositam, velut pro cautione & securitate provilum est. * Quæ provilio effectum suum consequuta est in persona Melchioris, qui matri superstes in illius bonis hæres deducto usufructu effectus fuit; & se ut illius heredem in illis gessit; per hoc saltem quod de illis testamentum fecerit. l. ult. §. si autem C. De iure delib. quia illud pro aditione est; ut & cessio hereditatis etiam si nihil rerum hereditarium hæres attigerit, Bald. conf. 403. punctum talis est nu. 2. & 5. vol. 1.

Quo constituto, consequens est omnibus ulterioribus in latere materno cognatis præclusam esse viam ad hæreditatem dictæ Domicellæ Elizabethæ; qui tacite tantum vocati censentur in casum deficientium liberorum, qui non evenit, l. Ex facto §. si quis rogatus & §. si quis autem Ad Trebel. l. Filium §. cum qui De leg. 1. sed per superexistenciam Melchioris defecit, & semel defectus ex alio sequente casu mortis Melchioris jam hæredis effectui reviviscere non potuit. * Conditio enim, si sine liberis, deficit & evanescit, etiam si liberi uno tantum momentaneo tempore, ad quod conditio relata est, vivant & superstites sint ac statim moriantur, d. §. si quis autem, Ostrad. conf. 21. Thoma. tale est nu. 8. Car. Ruyus conf. 153. Viso

utroque nu. 5. vol. 2. Sic ut manifesta sit horum testatorum voluntas, quod legitimam hereditatem seu successionem ulterioribus de latere referre voluerint dumtaxat in casum deficientium liberorum, non quodcumque; sed tunc cum alter eorum prior moreretur: ut in effectu horum cognatorum substitutio, si quæ sit, pro vulgari seu ad exemplum vulgaris accipi debeat; * quæ aditæ hereditate per eum, qui prior vocatur, exspirat, l. post aditum C. De impub. & alijs sub. ita ut alij de latere non censcantur vocati, nisi deficientibus liberis, & per consequens Melchior filius illos ultiores excludat; non etiam quod liberi heredes effecti deinde morientes sine liberis ultieris sint gravati, Oldr. d. conf. 21 in fine, Baldus conf. 216. Verba testamenti nu. 2. m. 1. quia semper in dubio præsumitur potius substitutio directa, quam fideicommissaria, d. c. Si pater De testam. lib. 6. & plures appellativæ aut collectivæ significatione vocati, inter quos est cognationis gradus & ordo, censentur in dubio vocati non conjunctim, sed ordine successivo, & ut quisque proximus est; ita tamen, ut, cum aperte non constet testatorem graduale fideicommissum voluisse continere, in primo gradu consumatur vocatio, nec post eum, qui primo loco relicto occupat, qui sequenti gradu sunt postea admittantur; sed ij tantum qui tempore mortis testatoris proximi sunt, Barr. in d. §. in fideicommiss. in fine; quod in casu non ablimili multis & elegantibus rationibus comprobatur Decius, conf. 205. In causa istorum nu. 5. Atque ita sit manifestum, quod dicti testatores non voluerint suos liberos aliquo fideicommissio gravare, per quod impedirentur de bonis prioris decedentis quoquo modo in legitima ætate dispoñere, vel inter vivos, vel per ultimam voluntatem: 1. nam etsi fideicommissa facillime inducantur, & constituantur, nec magnam solemnitatem aut formalitatem dispositionis requirant, l. Cum proponebatur De leg. 2. non constituuntur tamen nisi expressè de hujusmodi testatoris voluntate appareat, l. Quidam cum filium De hered. institut. Sic ut (veluti eleganter scribit Baldus, in d. l. Quidam cum filium) non sufficiat allegare testatorem ita voluisse, nisi quoque disposuerit; nec tacita voluntas satis idonea est ad constituendum fideicommissum, l. Gallus §. quidam recte De lib. & post. Decius, conf. 205. In causa istorum nu. 5. Rursum d. conf. 153. nu. 6. nisi verba sic concepta sint, ut inde velut necessariò & concludenter debeat vel possit fideicommissum induci, Decius d. conf. 205. nu. 5. & seq. præsertim quia onus fideicommissi sit odiosum, l. Cohæredi §. cum filium De vulgari & pupil. Decius conf. 336. In casu proposito in fine; & in dubio pronuntiandum sit, illud non esse, Cravetta conf. 80. Quando reddidi in fine vol. 1. Alciat. conf. 413. Est dissimulatio in fine. Quod extra omnem dubitationem est respectu liberorum, quibus ut quodammodo debetur parentum hereditas, ita quoque non præsumuntur in dubio à parentibus in illa gravari ad commodum aliorum transversalium, quibus testatores non tenentur aliquid relinquere; ideoque respectu illorum potius inducatur directa, quam precaria seu fideicommissaria substitutio, Decius d. conf. 205. nu. 2. & 6. Proinde hoc commune pa-

rentum testamentum nullum fecit impedimentum dicto testamento per Melchiorum condito.

Alterum jus, quo præfatum Dominum Ioannem munitum esse diximus, est ratio & consideratio intestatæ successionis. * Nam præsupposito, quod prædictum testamentum esset ex aliqua causa nullum (quod cur dici possit non videmus) in omnem eventum pertinerent hæc, de quibus quaritur, dicti Melchioris materna bona ad eundem Dominum Ioannem, dictæ intestatæ successionis iure, in qua quia Melchior nullas proles reliquit, proximam gradum obtinet dictus D. Ioannes, quia defuncti Melchioris pater est, in Auth. De hered. ab intest. venien. §. si igitur defunctus idque non tantum, exclusis omnibus ex linea materna cognatis, sed etiam proprijs Melchioris fratribus & sororibus, quos D. Ioannes ex secundis nuptijs suscepit. His enim parentes defuncti semper potiores sunt; & cum parentibus admittuntur dumtaxat defuncti filij, fratres, & sorores germani, seu ex utroque latere conjuncti, in d. Auth. De hered. ab intest. §. si vero cum ascendentibus.

Nec quicquam in contrarium facit, quod hæc bona non pervenerint ex latere paterno, sed materno: nam jus commune in successionebus regulariter discrimen non facit, unde bona pervenerint, nisi tunc cum defuncto supersunt fratres uterini, qui admittuntur ad bona materna, l. De emancipatis C. De legit. hered. Atque ita cessantibus fratribus uterinis, debent ad patrem solum, exclusis consanguineis, pertinere etiam bona materna. Quamvis multis locis aliter servetur ex speciali consuetudine; qualem nobis proponitur in territorio Colonienfi nullam esse. Ideoque cum hæc successio secundum terminos juris communis, deficiente consuetudine regulari debeat, l. De quibus De legib. dubitatio nulla est, quin in proposito casu ratio intestatæ successionis plurimum adiuves hanc intestatam successionem; quia ad intestatum quodammodo accommodata & conformata est. Non ita quidem, ut Dominus Ioannes utram velit eligere possit in fraudem legatorum, quæ maternis cognatis testamento relicta sunt: sed ut cessante nullitate præcisè adhaerere debeat testamento, & legata in eo relicta præstare, l. 1. & toto tit. d. Si quis omnia caus. testam.

De Testamentis.

S Y M M A R I U M.

Testamentum per relationem ad scedulam

1. Donatio mortis causa an per epistolam fieri possit.
2. Ultima voluntas an privata scriptura sine testibus expediti possit.
3. Testamentum holographum absque testibus ex consuetudine aut privilegio valet.
4. Testamentum ad causam priam sine testibus an valet.
5. Monasterio quod relinquatur pia causa relicta an censetur. Particula etiam vu.
6. Legatum speciale an censetur revocatum per generalem dispositionem de omnibus bonis.
7. Concessio in vita facta an morte concedentis extinguitur.

8. Legatum